



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 1. Explicatur difficultas, & variæ proponuntur sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

essentia diuina, neque ad constitutionem personarum, neque attributorum Dei, alicuiusve formalitatis, quæ in Deo libera non sit, bene tamen præcisa dicitur respectu decretorum liberorum Dei, quia omnia penetrat beatus, ita ut possit dicere, Deus apud se statuit hoc facere, neque ex eo quod Deum videat, aliquid huiusmodi decretum liberum Dei necessariò cognoscit, sed omnia non sciet, nisi Deus velit aliquod illi reuelare. Doctrinam hanc inuenio apud N. Ruisium t. de scientia, disp. 8. sect. 8. num. 4. ubi ait sufficiens fundamentum reperiri ad distinguendas per rationem formalitates diuinas in infinitate Dei etiam respectu intellectus beati. Quia intellectio creata Deum comprehendit ex quo prouenit, ut pluribus intellectioibus etiã beatificis, possit melius penetrari diuinitas.

5 Ceterum hoc fundamentum, quod ex nostro modo cognoscendi desumitur sufficiens est ad hanc præcisionem, seu distinctionem præcisiuam prædicati realiter cum alio identificato independentem à quibuscumque connotatis, & à fundamento aliquo ex ipsa re desumpto. Patet hoc in sensatione externâ coloris albi longè distantis, ex vi cuius aded imperfectè hunc cerno colorem, ut sensatio illa non discernat speciem coloris, sed illam cum aliis speciebus confundat, non quia actu sensatio illa species alias coloris attingit, sicut intellectus dicitur confundere distinctas species animalis, cum illas omnes conceptu quodam confuso cognoscit instar vnius animalis, sed quia est tantum speciem illam coloris præsentem agnoscit, aded imperfectè illam attingit ut ex vi illius sensationis non possit sensum discernere inter illam speciem, & aliam, quam tunc sentit, vel quam posset sentire, neque huiusmodi sensatio fundamentum dat intellectui ad discernendam speciem coloris, ex vi illius cognitam, ab alia specie coloris, quam potest cognoscere, vel tunc cognoscit. Itaque huiusmodi sensatio, & cognitio quæ illam consequitur, ita est præcisa ut tantum attingat vnum obiectum singulare & non aliam cum quibus illud confundit, dicuntur tamen sensatio, & cognitio, quæ illam consequitur suum obiectum confundere, quia ita illud attingunt ut si postea sensatio illa perfectè attingeret alium colorem specie distinctum, & cognitio, quæ hanc sensationem cõsequeretur eundem calorem distingueret ab aliis, quos expressè cognosceret sub determinatis speciebus constitutos, non valeret discernere inter hunc colorem modò perfectè cognitum, & illum imperfectè cognitum, sed dubius maneret an esset idem in specie modò perfectè cognitum, quem scit ad hanc speciem pertinere, & color alius imperfectè cognitus, atque sensatio, cuius speciem imperfectè valde cognouit.

6 Explicandum est modò, an fundamentum ex rebus ipsis desumptis sufficiens sit ad inducendam hanc distinctionem rationis, verumtamen, ut difficultas hæc opportunè decidatur, prius explicandum est, quodnam sit hoc fundamentum. Docuit Vasquez modò citatus fundamentum hoc non desumi ex re ipsa, quæ per intellectum distinguitur, sed ex aliis distinctis, in ordine ad quæ cognoscitur. Exempli gratia: distinguo ego per rationem animal à rationali, fundamentum distinctionis non est formalitas ipsa animalis, & formalitas rationalis, sed operationes distinctæ in ordine ad quas has operationes cognoscimus. Sic in rebus creatis contingere credo, quia si non ego agnoscerè operationes quas tribuimus prædicato animalis, nunquã ego prædicatum animalis à rationali distinguerem, & ita proximum fundamentum distinctionis in prædicatis creatis ex illorum operationibus desumo. Ceterum ut bene vidit Ruisius t. de Trinit. disp. 12. sect. 4. n. 1. maius fundamentum reperitur in Deo ad distinguendas per rationem relationes ab essentia, quàm in aliis entitatibus ad distinguendas formalitates inter se distinctas, quia fundatur in hoc quod dentur tres relationes realiter inter se distinctæ, & identificatæ cum ipso, quod sufficiens est ad hanc distinctionem rationis secluso quocumque alio effectu distincto realiter ab ipso Deo. Quapropter existimo in ipsis formalitatibus in Deo realiter identificatis, & per rationem distinctis dari fundamentum ad hanc distinctionem rationis. Secundò per ordinem ad Verbum productum in Deo per intellectum, & non per voluntatem, & per ordinem ad Spiritum sanctum productum per voluntatem, & non per intellectum sufficienter possumus per rationem distinguere in Deo intellectum, & voluntatem, fundamento desumpto ex terminis productis, qui realiter non distinguuntur à potentia intellectiua, & volitiua Dei, quas per intel-

lectum distinguimus. Hæc, & alia fundamenta distinguendi per rationem in Deo formalitates reales identificatas adducit Ruisius t. de scientia, disp. 8. sect. 8. eandem doctrinam tradit P. Soar. disp. 7. Metaph. sect. 1. n. 4. ubi asserit fundamentum distinctionis ratiocinatæ non esse distinctionem aliquam veram, quæ in re sit, sed eminentiam ipsius, quæ à multis solet appellari virtualis distinctio. Hanc distinctionem virtutalem fundamentum esse distinctionis rationis in communi sententia testatur Merinero in Logic. cap. 1. disp. 1. quæst. 2. sect. 1. num. 71. quam affirmat illos, qui melius sentiunt constituisse cū Cajetano l. p. q. 39. art. 1. s. ad secundum, in hoc, quod prædictæ formalitates, ita sua propria munera singulæ exerceant, ac si essent realiter distinctæ, de qua distinct. latè egi Punct. 4. Conclusio ex his fundamentum distinctionis rationis inter formalitates creatas identificatas semper sumi ex rebus distinctis, ad quas dicunt ordinem, fundamentum verò distinguendi formalitates increatas, sæpe non distingui realiter ab ipsis formalitatibus diuinis, quas mente præscindimus.

7 Fundamenta hæc assignata, distinctioni ratiocinatæ adhuc respectu intellectus diuini talia esse, & Deum cogere ad formalitates præscindendas, docent Agid. de Præsent. t. 1. de beat. lib. 5. q. 6. art. 10. §. 2. & alij apud ipsum, quos sequutus est Arriag. disp. 7. Logicæ, sect. 4. subsect. 3. ubi ex Trinitatis mysterio, & veritatibus obiectiuis, quas in se continet, infert dandas esse præcisiones ex parte obiecti cognitæ, cum cognoscitur essentiam communicari, & non Paternitatem, Filiationem produci, & non essentiam, adhuc respectu intellectus diuini cognoscentis hæc obiecta quæ præcisiones dicunt distinctionem rationis inter formalitates mente præcisas, & realiter identificatas. Melius affirmant P. Vasquez supra & P. Soar. loco citato Metaph. & disp. 54. sect. 2. n. 25. & lib. 4. de Trinit. cap. 35. & Ruisius supra hæc fundamenta tantum esse respectu intellectus imperfectè cognoscentis, & per alienas species, & non respectu Dei, neque beati cognoscentis ut est in se, quia id, quod viator in mysterio Trinitatis cognoscit per hæc duo prædicata *communicatur*, & *non communicatur*, quæ nobis apparent ut contradictoria, si in ordine ad duo subiecta non illa comparamus, & ideo mente præscindimus essentiam & Paternitatem, ut de hac non communicari, & de illa communicari dicere possimus, beatus apprehendens Deum Trinum ut est in se apprehendit per simplicissimum conceptum in essentia, & paternitate tanquam in simplicissima entitate absque vlla contradictione, sicut enim in se, neque implicationem, neque distinctionem inter essentiam, & Paternitatem dicit mysterium, sic beatus perfectè mysterium sine contradictione, & sine distinctione inter essentiam, & relationes perfectissimè cognoscit.

8 Alia sunt fundamenta, quæ Deum cogunt cognoscere distinctionem rationis inter formalitates realiter identificatas, & alia entia rationis, per iudicium, quo censet talem distinctionem esse obiectum creatæ cognitionis, & rationale ut distinctum ab animali esse obiectum eiusdem cognitionis, de quibus dicam Controu. 12. Punct. 3.

PUNCTUM VIII.

De distinctione rationis, seu de præcissione inter gradus vniuersales, & quascumque formalitates identificatas.

§. I.

Explicatur difficultas, & varia proponuntur sententia

1 Duplex est præscindendi modus inter formalitates identificatas, quidam ex parte actus, alij ex parte obiecti. Præcisio ex parte actus est illa, ex vi cuius intellectus media cognitione attingit totam rationem realem adequatam in obiecto repertam secundum omnes formalitates, quas in se claudit, cum ordine ad has operationes tenentes se ex parte obiecti indirecti, & in obliquo terminantes hanc cognitionem, & non cum ordine ad alias quas eademmet virtus intrinsecè potest producere, & in ordine ad quas posset cognosci, & de facto cognoscitur per aliam cognitionem, quæ cognitio non dicitur præcisiva ex parte obiecti, quia attingit omnes formalitates intrinsecas obiecto, & dicitur præcisiva ex parte actus, quia ita illas omnes attingit, ac si attingeret tantum formalitatem quamdam

quamdam respicientem tantum illos actus, qui se tenent ex parte obiecti indirecti, & non ipsam, neque aliam respicientem alios actus, qui non se tenent ex parte obiecti indirecti, ad quos neque in obliquo terminatur cognitio. Rem declarat exemplum: inest homini virtus productiva, siue formalis, siue radicalis eadem omnino producendi actus sentiendi, & ratiocinandi, qui omnes ab eadem physica virtute procedunt; apprehendit quis totum hominem, seu totam hanc virtutem cum homine identificatam tanquam obiectum directum, & tanquam obiectum indirectum operationes tantum sentiendi; tunc totum obiectum directum apprehensum, quod in re, & ex parte obiecti terminantis cognitionem est totus homo, & totum principium ratiocinandi, & sentiendi dicitur tantum principium sentiendi, quia tantum apprehenditur connotatis sensationibus, & tunc ex parte actus dicitur praescindi principium sentiendi à principio ratiocinandi, seu animal à rationali, & sine isto illud apprehendi. Si vero eademmet entitas, seu idem principium apprehenderetur secundum se totum, & idem omnino ex parte obiecti directi cum alio obiecto indirecto connotatis videlicet ratiocinationibus, & non sensationibus, principium illud, quod in re, & ex parte obiecti esset principium sentiendi, & ratiocinandi, diceretur tantum ex parte actus principium ratiocinandi, & tunc ex parte actus diceretur apprehendi rationale non apprehenso animali, & ab hoc illud praescindi. Dum si hoc principium apprehenderetur connotatis sensationibus, & ratiocinationibus diceretur homo, & principium sentiendi, & ratiocinandi absque vlla ipsorum praecisione per modum vnius principij indivisibilis apprehenderentur. Itaque secundum hunc dicendi modum animal praecise cognitum absque rationali, & rationale praecise cognitum absque animali, & homo, in quo est animal per rationale contractum, dicunt ex parte obiecti eandem inseparabilem formalitatem, quae connotatis tantum sensationibus dicitur animal, & connotatis tantum ratiocinationibus dicitur rationale, & connotatis simul sensationibus, & ratiocinationibus dicitur homo.

2. Praecisio obiectiva est illa, ex vi cuius non solum connotata oblique cognita sunt distincta, sed etiam ex ipsis formalitatibus obiecti directi realiter identificatis intellectus vnam ab alia separat, & hanc attingit, & non illam, vel saltem hanc attingit expresse, & illam in se ipsa non eadem attingit expresse. Secundum hunc dicendi modum cognitio, ex vi cuius praescinditur animal à rationali, attingit principium sentiendi connotatis sensationibus, & non attingit principium ratiocinandi, quod non est tantum non attingere ratiocinationes, sed non attingere in obiecto directo formalitatem illam, cui correspondent ratiocinationes, quae formalitas est principium discurrendi. Itaque secundum utrumque praescindendi modum attinguntur diversae connotatae quando apprehenditur animal sine rationali, & quando apprehenditur rationale sine animali, sed cum hac differentia, quod praecisio ex parte actus tota sistit in diversis connotatis oblique cognitis, ex vi quorum cognita semper eadem formalitate ex parte obiecti directi, modo dicitur his connotatis cognosci animal, non cognitio rationali, modo aliis connotatis cognosci rationale sine animali; praecisio vero obiectiva ex diversitate connotatorum procedit ad diversas formalitates in obiecto primario attingendas, & cognitio connotans tantum sensationes ut obiectum indirectum pertingit in obiecto primario praecise principium illarum, & non principium ratiocinandi, et si cum illo sit identificatum. His positis.

3. Communis sententia vim tribuit intellectui praescindendi ex parte obiecti formalitates realiter identificatas; ita P. Vasq. r. p. disp. 17. c. 2. & alij apud illum, & vniuersim Thomistae. Fuit sententia haec in Scholis frequentissima, licet nullus ex antiquioribus Scholasticis, quaestionem hanc prodignitate tractauerit, quia cum omnes convenirent gradus inter se identificados per rationem distinguere, parum de natura huius distinctionis, seu praecisionis curarunt. In his qui praecisiones obiectivas admittunt, plerique illorum affirmant tantum has fieri posse per cognitionem abstractivam, alij per intuitivam etiam fieri posse defendunt, quos hic non refero, quia ex suppositione quod fieri possit per cognitionem abstractivam, specialiter disputare an fieri possit per intuitivam, non tam est de praecisionibus agere, quam de natura cognitionis intuitivae, de qua egi Controv. 6. Punct. 4.

4. Secunda sententia vim denegat intellectui praescindendi ex parte obiecti inter formalitates realiter identificatas,

& tantum praecisiones ex parte actus admittit. Fuerat haec sententia longa obliuione sepulta, his vero temporibus multum lucis, praecipue à nostris recentioribus accepta, qui huius quaestionis difficultates diligenter euoluunt, & sententiam hanc acutè dilucidant. Hanc tradidit Hurtado, disp. 6. sect. 4. subsect. 3. apud quem citatos reperies Nominales, qui illam primò tradidit, & alios auctores, in quibus noſter Soar. quos vult Hurtado. pro hac stare sententia, quorum mentes examinare longum esset. Refertur etiam pro eadem sententia ab eodem Hurtado Angelicus Doctor, cuius plura adducit testimonia, quibus videtur sententiam expresse tradidisse. Conſentit Arriag. disp. 5. Logice sect. 2. cum limitatione tamen, asserit enim posse intellectum humanum in formalitatibus diuinis realiter identificatis vnam ab alia praescindere, licet in creatis tantum possit ex parte actus praecisionem istam praestare.

Recentes quidam à nostris aliam mediam viam suam menditati, & cum distinctione quaestionem decidunt; asserunt enim secundum opinionem concedentem concedentem virtuti productivae connexionem essentialiam cum effectu possibili, obiectivas praecisiones esse necessario admitendas, in opinione vero, quae hanc connexionem in causis cum effectibus, adhuc possibilibus, non agnoscit; sed asserit repugnante effectu eandem virtutem productivam illius permanentiam, praecisiones obiectivas non esse concedendas, sed tantum ex parte actus admitendas esse in principio realiter distincto operationum distinctarum, quibus per intellectum distincta formaliter attribuimus principia tantum praecisionis beneficio diuisa. Addunt praedicti recentiores in entitatibus modalibus necessario has praecisiones esse admitendas propter connexionem essentialiam, quam habent cum rebus cuius sunt modi. Item in ente increato propter Trinitatis mysterium, & alia propria Dei, quae sine distinctione praecisiva ex parte obiecti explicari nequeunt.

S. III.

Media quadam sententia recentiorum exploditur.

Ante omnia reicienda est sententia illa recentiorum, qui diverso modo philosophantur de virtute productivae intrinsece connexa cum possibilitate effectuum, & de virtute non habente talem connexionem, contra quam arguo modo, probando eodem modo philosophandum esse, siue haec connexio reperitur in causis, siue independenter existant ab omni possibilitate effectuum.

Arguo primò: Causa non ex eo cognoscitur cognito effectu, quia ipsa connexa sit cum effectu, sed quia effectus est connexus cum ipsa, connexio enim non requiritur in illo, quod medio alio cognoscitur, sed in eo quod medium est, ut aliud cognoscatur, non enim requiritur consequens esse connexum cum antecedenti, sed antecedens esse connexum cum consequenti, ut fiat legitime illatio, ut per se notum est: ergo siue principium sentiendi, & principium ratiocinandi sint connexa cum sensationibus & ratiocinationibus, siue cum illis nullam habeant connexionem, eodem modo cognoscuntur mediis suis operationibus, & eodem modo operationes determinabunt intellectum ad cognoscenda principia, à quibus procedunt: ergo si seclusa connexionem principij ad operationes sentiendi, haec ducunt in cognitionem principij sentiendi, & principij ratiocinandi identificati cum sentiendi principio, posita connexionem in principio sentiendi, sensationes eodem modo ducunt in cognitionem principij sentiendi, & ratiocinandi, vel si posita connexionem sensatio ducit tantum in cognitionem principij sentiendi, & non ducit in cognitionem principij ratiocinandi seclusa connexionem ex parte principij sensatiui eodem modo ducit in cognitionem sui principij. Confirmatur: ablata connexionem principij cum effectu adhuc possibili, adhuc remanet in ipso effectu connexio cum causa: sed haec connexio effectus cum causa, est, quae determinat intellectum ut medio effectu cognoscat causam siue absolutam, siue respectivam: ergo permanet idem medium ad terminandum intellectum: ergo intellectus eodem modo determinabitur. Si dicas ablata connexionem ex parte causae, auferri etiam ex parte effectus, aperte falleris, quia quantumvis causa sit non connexa cum effectu, existentia effectus necessario est connexa cum aliqua causa, implet enim existere effectum, quin existat productus ab aliqua causa illi coexistente. Deinde Controv. 10. Puncto tertio, probabo